

CAPUT II.

De Spe et Charitate.

ARTICULUS I.

De objecto materiali et formali spei.

THESIS XVIII.

Objectum materiale spei non tantum visio Dei, sed Deus ipse est.

113. **Nota.** I. Vocis *spei* significatio multiplex est: significat enim quemdam affectum tum appetitus sensitivi, tum rationalis voluntatis naturalem vel infusum. Interdum etiam accommodatur ipsis rebus speratis (1). *Spes autem quae videtur non est spes*; interdum dicitur de illo in quem speramus (2). *Quoniam tu (Domine)... spes mea ab uberibus matris meae*, et tandem sumitur pro actu et habitu virtutis secundae theologicae (3). *scio*, dicebat Job, *quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum...; et in carne mea videbo Deum meum... reposita est haec spes mea in sinu meo*. Paulus ad Corinthios (4): *Manent fides, spes, charitas*. De spe in hac ultima significatione accepta nunc agendum est; eam generatim sumptam dicimus esse virtutem theologiam, qua Deum ut bonum nobis appetimus cum erectione animi fundata in auxiliis et promissionibus divinis; quatuor in ea sunt distinguenda. a) Res circa quas versatur, seu id, quod speratur. b) Ratio sub qua speratur. c) Cui speratur. d) A quo speratur. Primum est propria materia hujus virtutis; secundum indicat formale objectum ejus; tertium est quasi subjectum illius boni, quod speratur; quartum est veluti efficiens causa; duo postrema ad formale vel materiale objectum revocantur, ut ex dicendis constabit (5).

II. In thesi agimus de objecto praecipuo et primario materiali virtutis spei, ut ex hoc ipso, quod Deum, per visionem possidentium, dicamus objectum ejus, patet; si enim aliqua alia speramus, propter Deum, qui visione sui reddet nos ultimo et aeternaliter felices, speramus. Quatenus dicit visionem Dei esse objectum materiale spei est communis theologorum, et in re, eam de fide

(1) Rom. VIII, 24.—(2) Ps. XXI, 10.—(3) Job XIX, 25-27.—(4) I. XIII, 13.—(5) Suar. De Spe. D. I, sect. I, n. I.

pronuntiat Suarius; quatenus addit visionem Dei una cum Deo esse objectum materiale est etiam communis contra aliquos volentes esse solum Deum, ita ut visio solum sit conditio sine qua non, et contra Durandum docentem objectum spei immediatum esse solam visionem, cujus sententiam aliqui censent periculosam.

114. I.^a Pars. Prob. 1.^o Paulus ad Romanos ait: *Gloriamur in spe gloriae filiorum Dei* (1). Titum docet spem nostram esse *spem vitae aeternae, quam promisit, qui non mentitur Deus* (2); Nos expectare debere *beatam spem, et adventum gloriae magni Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi* (3).

2.^o Ex Patribus. S. Joannes Chrysost. (4): «*Spes est futurae pollicitationis religiosus assensus, promissae gloriae devota intentio, Sanctorum destinata dignitas, bonorum expectatio futurorum.*»

3.^o Rationibus. a) Illud est praecipue objectum materiale spei, quod maxime nobis a Deo promittitur. Sed quod maxime nobis a Deo promittitur est plane nostra beatitudo seu visio Dei, ut ex probatione prima patet. Ergo... b) Id est praecipue et primario a nobis sperandum, quod praecipue et primario operibus nostris quaerere debemus. Sed debemus praecipue et primario quaerere vitam aeternam, juxta verba Christi (5). *Quaerite ergo primum regnum Dei et justitiam ejus*, et illa alia (6): *nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam.*

115. II.^a Pars. Prob. 1.^o Juxta Paulum ad Hebraeos (7) Deus nobis promisit vitam aeternam *ut... fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem; quam sicut anchoram habemus animae tutam ac firmam, et incedentem usque ad interiora velaminis*, i. e. ex communi Patrum et DD. interpretatione usque ad Deum ipsum.

2.^o Auctoritate S. Augustini (8) dicentis: «*praemium virtutis erit ipse (Deus), qui virtutem dedit, qui se ipsum, quo melius et majus nihil potest esse, promisit.*» Constat ex Genesi (9) cum Abrahamo dixit Deus: *Ego protector tuus sum, et merces tua magna nimis.*

3.^o Deus est summum bonum nostrum ratione suae intrinsecae bonitatis; ergo ipse est objectum summum et primarium spei nostrae. *Antec.* prob. Tum quia non solum res nobis inhaerens, sed etiam res supposito distincta potest esse bonum nostrum; tum quia

(1) V, 2.—(2) I, 2.—(3) II, 13.—(4) Homil. de fide spe et charitate post I.^{am} Epist. ad Corinth.—(5) Matth. VI, 33.—(6) Ibid. X, 28.—(7) VI, 18, 19.—(8) De civit. Dei. L. 22, c. 30.—(9) XV, 1.

ipse Deus nobis conjungitur, juxta verbum Christi (1): *et accipiam vos ad meipsum, ut ubi sum ego et vos sitis*; et hoc ipsum est maximum bonum nostrum; sicut humanitati Christi non solum est bonum suppositum divinum, quod sit principium multarum perfectionum, sed maxime, quia ipsummet illi per se conjungitur (2). *Conseq.* est clara, nam si Deus est sua intrinseca bonitate bonum nostrum, ipse Deus est quem primario et principaliter nobis desideramus.

116. Obj. 1.^o Spes pertinet ad amorem concupiscentiae. Sed Deus non est honeste amabilis tali amore. Ergo... *Min.* prob. a) Quia esset amare Deum propter nos, quod est ordini contrarium. b) Quia ipse Deus non est formale bonum nostrum, sed conjunctio cum Deo. Atqui amor concupiscentiae versatur circa bonum nostrum formale. Ergo...

Resp. Neg. min. cujus contrarium infra est demonstrandum.— Ad a) *Dist.* Est ordini contrarium amare Deum propter nos, nos finaliter intendendo; conc. Nos non finaliter intendendo; neg.— Ad b) *Dist. maj.* Conjunctio cum Deo est formale bonum nostrum, tantum; neg. Etiam; conc. Quamvis Deus jungatur nobis per creata bona, non est tamen ipse bonum nostrum ratione horum bonorum, sed potius, ipsa sunt bona nostra, quia habent ordinem ad Deum, et ipsum nobis conjungunt.

Inst. Ergo, sicut cognitio objectorum voluntatis non est etiam partialiter objectum ejus actuum, sed solum conditio illud applicans; ita si visio Dei non est bona nisi ratione Dei, quem nobis conjungit, visio ipsa non erit objectum spei, sed solum conditio respectu actus spei. Sed hoc est contra primam theseos partem. Ergo..

Resp. Noto cum P. Coninck, cognitionem aliquando esse puram repraesentationem objecti; aliquando ipsam solam appeti, non autem objectum illius, ut cum cognoscimus peccata; aliquando vero ipsam simul cum suo objecto constituere unum integrum finem, quia ratione objecti, quod nobis proponit et delectat, ipsa est nobis bona tamquam *quo* saltem obtinemus bonum nobis amabile et delectabile. Unde in forma; *Dist.* primam partem *maj.* Cognitio non est objectum sed pura conditio actuum voluntatis, quatenus tantum proponit objectum ad quod tendit voluntas; conc. Quatenus et ipsa potest reflexe cognosci secundum se amabilis et *ut quo* beamur; neg.

Obj. 2.^o Objectum, quod speratur est aliquid futurum et arduum. Sed Deus non est futurus sed ejus visio: nec in se proprie est quid arduum, sed consequutio est ardua et difficilis. Ergo...

(1) Joann. XIV, 3.—(2) Suar. De spe. D. I, sec. I, n. 4.

Resp. Dist. maj. Est aliquid futurum et arduum, secundum aliquem actum spei; conc. Secundum omnem, ut ex dicendis fiet manifestum; neg. Praeterea *minoris* primam partem *dist.* Deus non est futurus simpliciter et absolute; conc. Respective quoad nos; neg. Etenim futurus est nobis praesens, sicut modo est absens et ita nos speramus Deum ipsum praesentem nobis per futuram visionem, quam etiam propter Deum ipsum speramus, nam ipsa Deus est futurus nobis praesens. Eodem modo explicabis secundam *minoris* partem, Deus ipse excellentissimum est bonum et in hoc sensu arduum; nam inde fit ut consequutio ejus sit tam ardua.

Obj. 3.^o Eadem est materia spei et delectationis, quae excipit spem de re jam consequuta. Atqui in patria objectum illius delectationis non est Deus ipse in se, sed est visio Dei vel consequutio; nam delectatio, quae est de Deo ipso non respondet spei, sed charitati. Ergo...

Resp. Neg. min. Nam delectatio patriae, quae respondet amori concupiscentiae est de Deo ipso ut de *bono nostro* possessio jam consequuto; unde simul est etiam delectatio de ipsa visione et consequutione, non tamen primario, quia si illa delectat, est propter Deum ipsum, quem praesentem facit; quare similiter ratiocinandum est de spe, nempe eam simul attingere visionem et consequutionem Dei, sicut qui sperat pecunias, simul et illas pecunias et consequutionem earum sperat. Ad rationem respondendum: delectatio, quae est de ipso Deo soli charitati respondet, si est de Deo secundum se, seu quatenus est bonum ipsi Deo; conc. Si est de Deo respective ad nos, et prout est commodum nostrum, neg.

Obj. 4.^o Idem est objectum spei et desperationis, quia contraria sunt circa idem. Sed desperatio versatur circa visionem Dei, non circa Deum ipsum. Ergo... *Confir.* Eadem est materia gaudii et tristitiae; tristantur autem damnati non de Deo, sed de beatitudine formali, qua carent. Ergo...

Resp. Neg. min. tum argumenti, tum confirmationis ejus; quia desperatio etiam potest esse de Deo ipso ut a me sperato, vel absente, sicut potest quis dolere quod Deum ipsum sibi amiserit, idque propter suum incommodum inde consequutum (1).

THESIS XIX.

Praeter beatitudinem aeternam pertinent ad objectum materiale spei omnia supernaturalia bona, maxime quae sunt necessaria ad beatitudinem, imo etiam naturalia et temporalia bona nostra.

(1) Suar. De spe. D. I, sect. I.^a nn. 3, 5, 6.

117. Est communis et certa. Prob. 1.^o Cum Apostolo (1) compellente adire: *cum fiducia ad thronum gratiae, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno.* Cum Davide (2) asserente: *Quoniam in me speravit liberabo eum; protegam eum, ... clamabit ad me et ego exaudiam eum; cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, et glorificabo eum. Longitudine dierum replebo eum, et ostendam illi salutare meum.* Cum Christo D. docente nos orare (3): *Pater noster, qui es in caelis sanctificetur nomen tuum... Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie... libera nos a malo:* ubi Christus non solum gratiam supernaturalem ad sanctificationem necessariam, sed omnem necessarium cibum etiam corporalem petere nos voluit. Atqui, teste Augustino (4), certum est: «Ea omnia pertinere ad spem, quae in oratione dominica continentur.» Ergo...

2.^o Concil. Tridentinum (5) inter dispositiones ad justificationem requirit «spem veniae.» S. Ambrosius (6) ait: «Nemo potest agere poenitentiam, nisi speraverit indulgentiam.» Ergo praeter Deum, auxilia supernaturalia ad operandum salutariter necessaria continentur in objecto spei. Tota thesis denique constat ex usu perpetuo Ecclesiae, quae sive ordinarie in quotidiana sua liturgia, sive extraordinarie in calamitatibus publicis, ad omne bonum tam animae quam corporis adprecandum, ad omne malum tam spirituale quam temporale deprecandum publicas preces instituit et indicit.

3.^o Ratione. a) Ejusdem virtutis est velle finem et media ad eundem consequendum. Atqui non tantum bona supernaturalia, ut per se patet; sed etiam naturalia, ut possunt ordinari ad finem supernaturalem, sunt media ad illum consequendum. Ergo... b) Quidquid cadit sub meritum praesertim de condigno potest sperari. Sed praeter vitam aeternam, augmentum gratiae aliaque sive de condigno, sive de congruo possumus mereri. Ergo... (7) c) Quod est materia divinarum promissionum, est etiam materia spei, quae in divina fundatur promissione (8). Sed materia divinarum promissionum sunt bona tum supernaturalia, tum naturalia; Deus enim, ait Apostolus (9) ad Hebraeos: *inquirentibus se remunerator existit;* et omnes homines per Christum hortatur (10): *quaerite ergo primum regnum Dei, et justitiam ejus: et haec omnia (temporalia) adjicientur vobis.* Ergo.

118. **Corollarium.** Deus ut est nostra beatitudo potest dici objectum adaequatum materiale spei.

(1) Hebrae. IV, 16.—(2) Ps. XC, 14-16.—(3) Matthae VI, 9, 11, 13.—(4) *Enchir.* c. 14.—(5) Sess. 6, cap. 6.—(6) *De poenit.* c. 1.—(7) Disq. IV, c. IV, art. II.—(8) Rom. IV, 21.—(9) XI, 6.—(10) Matthae, VI, 33.

Ratio est, quia ex probationibus thes. XVIII et XIX resultat omnia bona, quae non sunt Deus, ad consequentiam ipsius Dei ordinari; quare sicut in objecto fidei Deus est objectum adaequatum, quia caetera a Deo credibilia ad ipsum Deum manifestandum ordinantur, ita pariter de objecto spei sentiendum est (1).

119. Obj. 1.^o Actus spei essentialiter praesupponit actum fidei de suo objecto. Atqui ordinarie nemo potest credere se habiturum gratiam efficacem, perseverantiam finalem et beatitudinem aeternam, cum ista non sint revelata, sed dubia et incerta. Ergo non possunt illa esse objectum spei.

Resp. Dist. *min.* Nemo potest credere ordinarie se illa habiturum actu fidei absoluto et certissimo de eorum bonorum adeptione in actu secundo; conc. Actu fidei conditionato, si nempe ex parte nostra Dei gratia praeventi et adjuti, faciamus quod in nobis est ad illa bona obtinenda; neg. (2).

Obj. 2.^o Aliqui SS. Patrum omnes petitiones orationis dominicae de bonis tantum supernaturalibus exponunt. Ergo non certo constat ex oratione dominica, bona temporalia a Deo peti et sperari posse.

Resp. Dist. *antec.* Exponunt de bonis tantum supernaturalibus excludendo bona temporalia; neg. Non excludendo; conc. Dist. etiam *conseq.* Ergo non certo constat, si sensus Patrum aliquorum est exclusivus; trans. Si non est; neg. Phrasis Scripturae *panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie* est generalis et utramque interpretationem complectitur et continet; primario et obvio sensu eam, quae se refert ad cibum corporalem; secundo, quamvis forte ex aequo, aliam, quae est de cibo spirituali praesertim de SS. Eucharistia ubi Christus est (3): *panis vivus, qui de caelo descendit.*

Obj. 3.^o Bona temporalia non sunt proportionata vitae aeternae; haec enim est supernaturalis, illa naturalia. Ergo...

Dist. *antec.* Non sunt proportionata directe et proprie; conc. Indirecte et improprie, negative ut remota impediunt; neg. Sic alicui, ut perseveret in statu gratiae nec veniat in desperationem, aut injustitiis commitendis se tradat, potest esse moraliter necessarium modicas divitias possidere; ut homines sanctificentur, ut Evangelium Christi, prout ipse voluit, in omnem terram deferatur, ut semen verbi Dei multos afferat poenitentiae et sanctitatis fructus, opus est esse in statu viae, in quo perseverari non posset, nisi (4) *Pater caelestis, qui pascit volatilia caeli,* homines quoque, qui *pluris* sunt illis pasceret.

(1) Vid. schol. Thes. I.—(2) Vid. IV. Thes. XXVII.—(3) Joann. VI, 41, 51. Vide Maldon. in cap. VI, Matthaei.—(4) Matthae. VI, 26.

SCHOLION.

An aliis possimus etiam bona sperare.

120. **Dico:** Etiam virtute spei possumus proximis bona sperare, si ex aliquo vinculo naturali respiciamus bonum et commodum proximi tamquam nostrum.

Dicitur ex aliquo naturali vinculo, non quod hoc sit ratio amandi amore supernaturali, sed quod sit conditio quaedam, qua posita, potest homo considerare alterius commodum tamquam proprium suae naturae; sic v. g. mater potest amare filio beatitudinem supernaturalem tamquam aliquid suum.

Prob. A simili, nam appetere honorem consanguineo considerando illum ut quid proprium appetentis, revera est quidem amor concupiscentiae naturalis, cum in hoc amore bonum alterius consideretur, quatenus aliquo modo in appetentem redundans et ut bonum suae naturae: ergo a pari illi appetere beatitudinem supernaturalem, eodem modo erit sperare ac est sperare mihi appetere beatitudinem. Vide D. Thomam (1).

THESIS XX.

Ipsa Dei bonitas ut a nobis possidenda est objectum formale spei, probabilius adaequate.

121. **Nota.** I. Ut demonstrandae thesi via paretur, stabiliendae sunt sequentes assertiones:

1.^a Actus spei non est actus intellectus sed voluntatis.

Est certum contra protestantes non distinguentes fiduciam a fide, et nonnullos catholicos volentes spem esse actum intellectus, quia sicut fides fundatur in veritate Dei ita spes in fidelitate, unde ad fidem spectat iudicare Deum non mentiri, quia est prima veritas, ad spem vero iudicare Deum futurum fidelem in suis promissionibus.

Prob. a) Quia si spes esset in intellectu vix aut nullo modo distingueretur a fide; nam actus ejus esset iudicium, certum, obscurum et supernaturale, quae omnia sunt de ratione actus fidei; si replicas, sed alter niteretur in veritate, alter in fidelitate, addo: b) In Deo nullo modo possunt distingui ratio veritatis et ratio fidelitatis saltem in subjecta materia; dupliciter enim potest aliquis deficere in promittendo, vel quia promittit sine intentione adim-

(1) 2, 2, Q. 17, a. 3.

plendi promissa, vel quia licet bona intentione promiserit, postea mutatur. Sed primus modus intrinsece continet falsitatem et est contra veritatem Dei, secundus ratione mutabilitatis, quam importaret in Deo, etiam fundatur in fide. Ergo... Ultima pars. *min.* prob. Quia sicut credimus Deum esse immutabilem, ita eadem fide credimus eum esse constantem in adimplendis promissis; ergo totum illud iudicium ad fidem spectat. c) Illud speramus quod aliquo modo iudicamus bonum et futurum, ut cum Philosopho (1) docet S. Augustinus (2), «bona sperari, mala timeri.» Sed bonum prosequi, malum timere sunt voluntatis actus. Ergo...

122. 2.^a Praeter amorem amicitiae erga Deum datur alius distinctus concupiscentiae, quo amatur Deus ut summum bonum et in commodum nostrum, qui honestus est, et in ordine ad vitam aeternam supernaturalis.

Esse praeter amorem amicitiae, quo Deus omnino propter se amatur, alium amorem concupiscentiae patet, quia Deus est summum bonum hominis, omne autem bonum est amabile eo modo quo bonum est: ergo Deus est amabilis ut summum bonum nostrum et in commodum nostrum.

Talem amorem esse honestum est de fide adversus protestantes et Bajum damnantes tamquam malum quidquid non procedit ex puro amore et benevolentia Dei. Prob.: a) Ex Tridentino (3): «Si quis dixerit, iustificatum peccare, dum intuitu aeternae mercedis bene operatur; anathema sit.» Ex propositione Baji 38.^a damnata a S. Pio V: «Omnis amor creaturae rationalis aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quae a Joanne prohibetur, aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum sanctum in corde diffusa Deus amatur.» Vide etiam propos. 13.^m inter proscriptas ab Alexandro VIII. b) Ex Scriptura, quae pluribus in locis hanc veritatem praebet. Sufficiat confortatio Christi ad patiendum omne malum (4): *gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in caelis.* c) Ex Patribus audiamus S. Augustinum (5): «Bonum tuum quaere o anima. Quaere tuum bonum. »Nemo bonus nisi unus Deus. Summum bonum hoc est tuum bonum. Quid ergo deest, cui summum bonum, bonum est? Erige »spem tuam ad bonum bonorum omnium. Ipse erit bonum tuum, »a quo omnia in suo genere facta sunt bona.» c) Concupiscentiae amor tendit in objectum bonum, eo modo, quo bonum est et amabile nec per se aliquam habet circumstantiam malam: ergo potest

(1) Reth. c. 4.—(2) *Euclir.* c. 8.—(3) Sess. 6, can. 31.—(4) Matth. V, 12.—(5) In Ps. CII.

quis propter illum operari. *Consequentiae* ratio est quia talis finis est integre bonus, ergo additus actui non communicabit illi aliquam malitiam.

In ordine ad vitam aeternam esse supernaturalem est manifestum ex ejus objecto, quod non est Deus ut auctor naturae, sed ut est auctor gratiae et objectum finalis et supernaturalis beatitudinis. Sed amor, qui Deum attingit sub his respectibus debet esse supernaturalis ut sit suo objecto proportionatus. Ergo...

3.^a Ex amore Dei concupiscentiae modo explicato nascitur desiderium beatitudinis et bonorum supernaturalium, quod si jungatur cum aliqua certitudine consequutionis est actus spei, qui non semper re distinguitur, sed ratione et denominative tantum a desiderio.

Nasci desiderium beatitudinis et bonorum supernaturalium ad eam necessarium est clarum, quia omnis amor parit desiderium si bonum, ut hic accidit, est absens.

Alterum declaratur, nam auctore D. Thoma (1): «objectum spei est bonum futurum arduum possibile haberi.» Jam vero per hoc «possibile haberi» erigitur animus ad sperandum, tunc autem animus apprehendit «possibile haberi» cum est aliquo modo certus de consequutione boni si media adhibeat; unde per hanc certitudinem spes a desperatione distinguitur auctore eodem Angelico, qui breviter et dilucide conditiones actus spei ita tradit (2): «Circa objectum... spei quatuor conditiones attenduntur: primo quidem quod sit bonum; non enim, proprie loquendo, est spes nisi de bono, et per hoc differt spes a timore, qui est de malo; secundo ut sit futurum; non enim spes est de praesenti jam habito; et per hoc differt spes a gaudio, quod est de bono praesenti; tertio requiritur quod sit aliquid arduum cum difficultate adipiscibile: non enim aliquis dicitur aliquid sperare minimum, quod statim est in sua potestate ut habeat; et per hoc differt spes a desiderio vel cupiditate, quae est de bono futuro absolute... quarto quod illud arduum sit possibile adipisci; non enim aliquis sperat id quod omnino adipisci non potest; et secundum hoc differt spes a desperatione.» Jam si haec Deo summo bono nostro accommodantur statim apparebit ipsum esse: a) bonum amatum, b) futurum ut possidendum, c) arduum, cum sit excellens et difficilis consequutionis: *Regnum caelorum vim patitur, et violenti rapiunt illud* (3), d) possibile haberi mediâ gratiâ certo conferenda (4), qua quis credit consequu-

(1) 2, 2, Q. 17, a. 1.—(2) 1, 2, Q. 40, a. 1.—(3) Matthae. XI, 12.—(4) Vid. Disq. IV, c. II, a. 11.

tionem talis boni esse possibilem, imo et esse futuram et quidem certo quantum est ex parte Dei, probabiliter ex parte sperantis. Ergo si desiderium possidendi Deum jungatur cum aliqua certitudine eum consequendi erit actus spei.

Hanc vero spem non semper distingui a desiderio probatur: quia si sperare est actus voluntatis circa bonum ut bonum, non potest intelligi quid sit nisi velle bonum; et cum sit circa absens bonum erit motus appetitus tendentis in distans; hoc autem ipsum est esse desiderium. Confirm. a) Certum est bonum absens amatum, quantumvis excellens sit et arduum, posse desiderari: ergo circa tale objectum non possunt distingui desiderium et spes; nam utrumque versatur circa arduum et absens. b) Spes est quidam actus necessarius ad salutem et ad eam dispositio; haec autem dispositio in hoc consistit, quod efficaciter intendat et velit salutem sibi comparare. Sed ita intendere non differt re et essentia a desiderio perfecto: ergo et hoc erit actus spei, qui non apparet distinctus ab illa efficaci intentione.

Sed distingui ratione et denominative saltem, constat: a) quia desiderium dicitur ex hoc solum quod est appetitus boni absentis; spes vero dicitur, quatenus est motus perfectus in bonum arduum; b) quia ut est desiderium non requirit iudicium, quod tale bonum sit consequendum, sed solum quod sit bonum mihi; ut vero est spes requirit persuasionem possibilitatis obtinendi tale bonum, ac consequenter de bona voluntate et fidelitate ejus, qui daturus est auxilium et praemium largiturus.

Ex quibus patet (1): 1.^o Omnem spem esse desiderium non contra; quia datur desiderium efficax de re nullo modo ardua, facili, quae ex dictis constat non esse objectum spei; insuper datur desiderium inefficax et conditionatum de re impossibili, quod stat cum ipsa desperatione. 2.^o Spem importare prae simplici desiderio erectionem animi seu ut loquitur Angelicus (2): «quemdam conatum et quamdam elevationem animi ad consequendum bonum arduum» non obstantibus difficultatibus. Haec erectio non distinguitur re ab ipso desiderio efficaci adhibendi media ad boni desiderati consequutionem omni difficultate contempta.

Actus spei igitur poterit definiri: Desiderium efficax boni supernaturalis, praesertim beatificantis, absentis, obtentu difficilis, probabiliter futuri per auxilium Dei, cum erectione animi adversus difficultates; spes vero ut virtus, erit virtus theologica seu habitus infusus horum actuum elicitivus.

(1) Cum Platelli. De spe. nn. 301-303.—(2) 1, 2, Q. 25 a. 1.

4.^a Actus amoris concupiscentiae, et qui ab illo oriuntur desiderii vel spei ad eandem virtutem spectant, quae non est charitas sed spes.

Ratio est, quia radix desiderii et spei est amor: ergo ejusdem virtutis est amare bonum et illud sperare si absens sit; nam eadem virtus est quae versatur circa actus per se ordinatos, quorum unus est quasi radix aliorum, cum in omnibus illis actibus retineatur eadem ratio formalis respectu virtutis.

Hanc virtutem non esse charitatem constat ex assertione secunda, ubi ostendimus hunc amorem concupiscentiae, ac proinde etiam actus, qui ad illum ordinantur, non pertinere ad amorem amicitiae, qui est proprius charitatis. Non esse fidem ex prima assertionem deducitur, cum hi actus sint voluntatis non intellectus. Ergo concludendum est esse spem. Prob. *conseq.* Est enim haec virtus theologica, cum proxime versetur circa bonum increatum; sed non est fides neque charitas: ergo relinquitur ut sit spes; nam secundum veram theologiam non sunt nisi tres virtutes theologicae (1).

123. II. De Objecto formali spei plures sunt theologorum sententiae: 1.^a Tenet Deum sub ratione boni ardui et excedentis hominis facultatem esse objectum spei, et infert ad charitatem pertinere Deum ut bonum proprium amare et desiderare, ad spem vero tantum sperare.

2.^a Vult Deum auxiliatorem, i. e. ut primum auctorem et principium omnium bonorum, quae si promittit, potest dare, esse objectum formale spei. Juxta hanc sententiam ita differunt tres virtutes theologicae, ut fides formaliter tendat in veritatem, charitas in bonitatem, spes in omnipotentiam, ratione cujus Deus est principium omnium bonorum et potest quod promittit adimplere. Pro hac sententia, ut observat Ripalda, referuntur testimonia D. Thomae non contemnenda. Eam defendunt thomistae, quos sequitur Vazquesius (2).

3.^a Docet objectum formale spei esse solum Deum ut summum bonum amabile amore concupiscentiae, quasi in commodum amantis; complectitur tum bonitatem divinam nobis convenientem et bonam in actu primo; tum possessionem ipsius sive beatitudinem formalem. Haec sententia sustinetur etiam pluribus D. Thomae textibus, et vocatur a Ripalda celebris et frequens. Eam propugnant Suarius, Valentia, Koninck, Silvius aliique; ex thomistis citantur Cajetanus, Aragonius, Medina.

(1) Quaest. praev. Dico II. Vid. Suar. De Spe. sect. 2, 3.—(2) In I, P. D. 84, c. 1, D. 235, c. 4, 1, 2. D. 15, c. 5. Vid. Billuart. D. de Spe. art. 2.

4.^a Admittit duplex esse objectum formale spei, unum quod speramus, alterum auxilium Dei a quo speramus; primum est bonitas Dei respectiva, secundum omnipotentia et fidelitas in promissis. Bonitas Dei respondet actui spei quatenus est prosequutio, omnipotentia et fidelitas in promissis respondent ipsi prout est erectio adversus difficultates et secure tendit. Afferunt pro se isti auctores testimonia D. Thomae duarum praecedentium sententiarum; variant tamen in modo explicandi quo pacto Deus auxilians sit objectum formale; nam dum aliqui admittunt esse motivum *propter quod*, alii solum volunt esse *formale quo*, qui forte nonnisi in modo loquendi a tertia sententia differunt. Hanc sententiam suam faciunt Lorca, Ripalda (1), Platelli, Viva, Wirceburgenses, Emin. card. Mazella, etc.

Ex enumeratis sententiis prima communiter rejicitur, secunda est probabilis, tertia et quarta sunt prae hac probabiliore, saltem quatenus communiter asserunt Deum ut summam bonum nostrum esse objectum formale spei. Prae omnibus placet tertiam defendere et probare sententiam, tum quia in secunda et quarta non datur ratio urgens contra eam, ut patebit solutione difficultatum; tum quia difficile est adversariis, ut ipse eorum dissensus prodit, explicare quomodo Deus auxilians sit objectum formale spei (2).

124. Prob. 1.^o Id solum est objectum formale actus voluntatis, quod eam commovet ad rem aliquam appetendam aut fugiendam; et consequenter non potest esse ejus objectum formale id, quod eam nullo modo ita movet. Sed bonitas Dei ut nobis bona, et per beatitudinem possidenda nos movet ad eam appetendam; non vero: a) arduitas objecti consequendi; b) nec auxilium divinum, vel etiam Deus, qua omnipotens et fidelis in promissis. Ergo sola bonitas Dei nos beatificantis est objectum formale spei: Prior *min.* pars, quae est prima theseos per se patet, nam clarum est bonitatem Dei possidendam seu beatitudinem, qua nobis bona est, hoc ipso et praescindendo ab omnibus aliis movere voluntatem ad sui desiderium; quia bonum per se appetibile est. Posterior *min.* pars quoad: a) Non movet arduitas, prob. a) Quia arduitas est difficultas obtinendi beatitudinem. Sed difficultas non movet appetitum ad prosequutionem objecti, sed potius retrahit appetitum. Ergo... β) Quia si arduitas esset motivum amandi, sperandi, crescente arduitate cresceret spes, quod falsum est, cum potius decrescat et degeneret in desperationem.

Quoad b) Non est auxilium divinum vel etiam Deus ut omnipotens et fidelis in promissis, prob. a)

(1) De virt. theolog. D. 23.—(2) Vid. Platelli. Synop. De spe. nn. 322, 323.